

1509 sustineatur ad Patavium irrigandum. ea si moles non sit, omnis fluminis vis in brevior alveum, qui demissior est, se se fundat, neque pars aquæ ulla Patavium perveniat. Is locus pagusque Limen appellatur. Ad arcem itaque Liminis capiendam omnis hostium exercitus, ad quem jam Maximilianus venerat, paucos se post dies contulit. Erant in arce milites CL. li, quod arx satis communita non esset, dum quid agant consulunt, hostes intromissi eos prope omnes interfecerunt. Arce capta Maximilianus milites mercede proposita molem interscindere aggressi, cum partem ejus dejecissent, flumenque pro ea portione averteretur, constaretque omnibus, si pergerent dejicere, totum flumen ea descensurum: Maximilianus operas ab incepto revocavit, imperavitque, ne quis molem ulterius dejiceret: neque tamen quisquam scire potuit, quam ob rem Maximilianus id jussisset. ita ea fluminis pars, quæ Patavium defluebat, nunquam postea defluere universa desinit. Cæterum cum vidissent Bachilionem etiam flumen, quod in agro Vicetino ortum habet, quinque millia a Patavio passuum ad pagum, qui Longare appellatur, dividi, ejusque partem Ateste, partem Patavium deferri: uti hæc quoque pars Ateste deflueret, eam intercipere sunt conati: ne qua Veneti ejus fluminis aqua ad Patavium tuendum uti possent. sed ab equitibus reipublicæ sæpe vexati, sæpe com meatibus interceptis, sæpe captis non gregalibus modo ex ipsis magno numero, sed præfectis quoque, incepto destiterunt. Inter captos Manfredus Facinus fuit, qui spreto jurejurando, quod legato Gritto dederat, iterum cum hostibus se conjunxit: ei est ob perjurium Patavii laqueo gula fracta.

Hostes post hæc, quod erat eo fere ab latere municipium Monsilice, quod abest Patavio decem millia passuum, monti præcelso adjacens, in cujus summo vertice est arx, quæ muro ab utraque parte ducto cum oppido conjungitur: cum Ateste, quod nemo defendebat, antea cepissent, se Monsilice contulerunt, oppidumque magno impetu aggressi ceperunt singulari Hispanorum militum virtute,

*Monslice a
Maximiliano
capitur*

VI. cal. sept.